



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Hvgoni Raymvndi Canonico Ebredunensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

manentibus exhortandi licentiam tribuentes competentibus horis & locis. Datum Laterani 1 v. Idus Maij, anno teritiodecimo.

In eundem modum scriptum est Archiepiscopo & suffraganeis Ecclesie Narbonensis. Datum ut in alia per totum.

PRIORI ET CANONICIS sancte Catharine Waterfordensis.

Epist. 79.
Recipiuntur sub protectione apostolicae sedis
Vide infra epist. 79.

CUm à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducat effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam sancte Catharine Waterfordensis & personas ibidem Domino famulantes, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. In primis siquidem statuantes ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam atque institutionem fratrum domus sancti Victoris Parisiensis in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Specialiter autem insulam extra muros Waterfordiæ, in qua sita est Ecclesia ipsa, cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Kiloteran cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Inefbrie cum Killolonan & una carrucata terræ ac aliis pertinentiis suis, Ecclesiam de Kilcronete cum omnibus pertinentiis suis, Mullochpissi cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Baliclierechan cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Fidum cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Kilmedimoc cum omnibus pertinentiis suis, & omnia ecclesiastica beneficia de Odagatha Omilim cum omnibus pertinentiis suis, & unam piscariam in Odagatha Omilin, & duas piscarias apud Fidum, & unum mesuagium cum horto suo, & quandam terram apud Inefbrie ad grangiam construendam, quam nobilis vir Helias filius Normanni pia vobis liberalitate concessit, sicut in ipsius authentico plenius continetur, & Capellam de Radlathgenam cum pertinentiis suis, & unum mesuagium cum sex acris terræ, & duo curtillagia inter insulam & muros Waterfordiæ, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis & per vos Ecclesie vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino ho-

Tom. I I.

minum liceat hanc paginam nostræ protectionis, constitutionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani 11. Idus Maij, anno teritiodecimo.

HUGONI RAYMUNDI Canonico Ebredunensi.

CUm M. mulier Bononiensis, quæ te in præsentia dilecti filij nostri Gualæ sancte Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, quem ipsi & tibi concessimus auditorem, petebat in virum, tandem post altercationes multiplices coram venerabili fratre nostro Tusculano Episcopo libera & spontanea voluntate continentiarum votum emisit, & tu militaturus Domino in clericali proposueris ordine permanere, à nobis humiliter postulasti ut tibi super hoc paterna dignaremur in posterum sollicitudine providere. Volentes igitur quieti & honestati tuæ de consueta sedis apostolicæ providentia præcavere, tam votum mulieris prædictæ quam propositum tuum gratum habentes & ratum, & cum pro matrimonio, quod te secum contraxisse dicebat, nihil coram auditore probaret, te ab impetitione absolventes ipsius, ne occasione hujusmodi matrimonij molesteris ulterius ab eadem, auctoritate apostolica inhi- bebimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei ausu &c. Si quis autem hoc &c. usquo incursum. Datum Laterani 1 v. Nonas Junij, anno teritiodecimo.

Epist. 80.
Abolvitur ab impetitione cujusdam mulieris.

ROBERTO ABBATI Monasterij sancti Martini Troarnensis, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Quotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus elementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Martini de Troarno, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuantes ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem

Epist. 81.
Recipiuntur sub protectione sedis apostolicæ.

LII ij